

Hermanno de Wolfhitz custode, dominis de Gubin, domino Reinh. de Vroburg canonicis ecclesiae Misnensis et aliis fide dignis.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit den Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

Köhler cod. dipl. Lus. I. Anh. S. 102, der unter Lubin Lübben in der Niederlausitz verstand und dessenungeachtet die Urkunde fehlerhaft copirt in das Urkundenbuch der Oberlausitz aufnahm.

No. 392. 1327. 21. Jan.

Der Official der Probstei beurkundet, dass in der Klagsache des Vicars Conrad Thüringer wider den Fleischer Nicolaus Vuzth in Meissen wegen 5 Stein Unschlitt Seiten des letztern vor Gericht theilweise Zugeständnisse erfolgt seien, auf Grund welcher weitere Vereinbarungen stattgefunden hätten.

Nos Th. officialis praepositurae Misnensis recognoscimus per praesentes publice profitendo, quod cum dominus Conradus Thuringus Misnensis ecclesiae perpetuus vicarius Nycolaum carnificem dictum Vuzth pro quinque lapidibus sepi anni census inpeteret in iudicio coram nobis, ad altare suum pro perpetuo lumine in honorem sancti Pauli apostoli et beatae Annae habendo per dominum Heinricum de Wratizlavia felicis memoriae pro salute suae animae assignatis, de quibus, licet ipse Nycolaus primo diffiteretur, tandem tamen remordente ipsum conscientia sua et consilio ductus saniori habitis hinc inde tractatibus profitebatur in figura iudicii, quatuor lapides se teneri. Quos quidem IIII^{or} lapides idem Nycolaus dicto domino Conrado de suo macello singulis annis solvere repromisit, ipsum de quinto lapide absolutum non dimittente, sed sua conscientia relincente. Praeterea promisit dictus Nycolaus IIII^{or} lapides census neglecti praesentis anni, de quibus ipsum induciavit, similiter solvere infra quatuor annos continue subsequentes, adiectis etiam conditionibus infra scriptis, quod si ipse Nycolaus medio tempore decederet, heredes sui vel quicumque idem macellum in posterum possidebunt, eundem censum saepedicto domino Conrado vel vicario eiusdem altaris solvere tenebuntur. Si vero praefatus Nycolaus et sui heredes possunt vel etiam volunt reemere dictum censum in toto vel in parte, unumquemque lapidem pro uno scoco grossorum reemere tenebuntur. Insuper etiam idem Nycolaus quindecim lapides praedicto domino de Wratizlavia retenti census debitos, cum altera media sexagena grossorum, quos sibi paratos mutuavit, similiter solvere suis testatoribus promisit, quandocumque ad fortunam pervenerit pinguiorem. Huius rei testes sunt discreti viri Hermannus de Lubin, Burchardus subcustos, Theodericus perpetui vicarii ecclesiae Misnensis, Apetus pellificis, magister Mychael medicus et quam plures alii fide digni. Actum et datum anno domini millesimo CCC^o. XXVII^o. in die beatae Agnetis.

Nach dem Orig. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel an einem von der Urkunde zum Theil abgetrennten Pergamentstreifen.